

OPVS EPISTO-  
larum diui Hieronymi Stri-

*donensis, una cum scholiis DES. ERASMI*

*ROTTERODAMI, denuo per illum*

*non uulgari cura recognitum, corre-*

*ctum ac locupletatum. -*



PARISIIS,

Apud Carolam Guillard, sub Sole aureo, via  
ad diuum Iacobum, Anno domini



REVERENDISSIMO PATRI AC DOMINO

D. Gulielmo, archiepiscopo Cantuariensi & c. Erasmus

Roterodamus S. D.



Vanquam in prima æditione sic aduigilatum erat, vt vix vli spes esset, posterioribus curis, quas prouerbio dicunt meliores, quicquam adiungi posse, Præsul incomparabilis: tamen ego magnopere cupiens hoc opus, quod nomini tuo ceu monumentum, vtinam victurum, crexeram, omnibus quantum fieri posset numeris absolutum exactumq; reddere: curauī vt denuo separatim excuderetur & chartis & for mulis elegantioribus: quanquam Ioannes Frobenius sic se gesserat antea in excudendo Hieronymo, vt non solum omnium suffragiis antecederet omnes, verum etiam vix ipse sibi locum relinqueret vincendi sui. Nos in Hieronymi scriptis penè nihil deprehendimus quod esset corrigendū. In nostris scholiis nonnulla correximus, quædam sustulimus, adiecimus non pauca. Restant tamè adhuc loca, sed ea perpauca, in quibus mea diuinitio nō omnino satisfacit animo meo: Quæ si quis me felicior vel ingenio, vel exemplariorum copia, restituerit: libenter & hominis industriam exosculabimur, & publicæ gratulabimur utilitati. In hoc labore duæ quædam res exortæ magnam nostræ laudis portionem decerpserunt. Primum, quòd per omnes totius orbis regiones sic effloruerunt linguæ cum bonis literis, vt in multis non perinde necessaria videatur opera nostra. Deinde, quòd hoc seculo plurimorum ingeniis, ad cruentas istas & gladiatorias λογμαχίας auocatis, neque studio, neq; frequentia pari, versantur homines in pratis saluberrimis, ac viridariis amœnissimis veterum authorū. Cæterùm laudis quidem iacturam facillimè ferrem, nisi cum publico dispendio studiorum esset coniuncta. De rerum euentu viderit Christus. Nos certè bonam præstitimus voluntatem, quam & præstabimus vsque ad extremum vitæ diem. Bene vale. Basileæ, Id. Iulii. An. M. D. XXIII.





Vanquam ab ipsa pueritia, non tam iudicio, quam arcano quodam naturæ sensu, diui Hieronymi scripta sum admiratus: eaque admiratio mihi semper cum accessione ætatis & si qua est, eruditionis accreuit: tamen cum illius epistolæ tum castigandi, tum scholiis illustrandi prouinciam susciperem, uariam illam & ex omni linguarum, disciplinarum ac literarum recondita suppellectili constructam opulentiam nondum penitus introspexeram.

Quid enim est in ullo librorum genere, seu paruum seu magnum, seu sacrum, seu prophanum, quod ille non habuerit in numerato? Itaque fateor me non uno modo peccasse, qui ad

tam arduum negocium, nec parem eruditionem, nec iustam curam attulerim. Quum enim primum uenissim Basileam, de nouo testamento uertendo ne cogitarem quidem: scholia modo nonnulla paucis uerbis annotaram, atque bis decreueram esse contentus: In Hieronymum ferè nihil attuleram præter animi propositum. Hic mea facilitate, aut uerius temeritate, abusus felicitis memorie Ioannes Frobenius, iurumque opus compluribus prælis aggreßus est: quum hoc corpusculum uix quartæ laborum parti par esset. Atque id temporis parabam illa, non hominibus eruditis, sed quibusdam piis quidem illis, uerum illiteratis: apud quos compereram Hieronymum sic undique deprauatum, ut ne legi quidem posset, cuius incogitantie me non semel & puduit, & piguit. Supererat igitur ut ad prouerbium confugeremus, quo posteriores curæ dicuntur esse meliores: & quod priore negligentia commissum erat, posteriore diligentia sarciremus: id quod à nobis iam semel atque iterum factum est. Porro

quum acciperem apud Parisiorum Lutetiam rursum excudi epistoliarum uolumina, ut ex tempore licuit, quædam loca pridem à me notata recognoui, misique in publicam studiorum utilitatem non conuicturus, donec æquo candidoque lectori probarim fidem & industriam meam. Ingratis enim & iniquis, qui uel dissimulantes tam multa bene dicta, tantum arrodunt si quid incautius excedit: uel quod est improbius, ne legunt quidem nostra, sed tamen oclusis oculis & obturatis auribus in genti uociferatione damnant quod nesciunt, nihil aliud optabo quam mentem dari meliorem diuinitus, *Dei Aem. præter. diuinitus.* Interim non tam regium est, quam Christi

Gulielmus  
Vuaramus

Sticum, quum bene facias, audire matè. Quum hæc adornaretur æditio, incomparabilis heros Gulielmus Vuaramus, Archiepiscopus Canuariensis, ac totius Angliæ primas, terras reliquit, & in cæleste contubernium emigravit, uir ex omni uirtutum & ornamentorum genere concinnatus: siue spectes in tanto rerum fastigio comitatem etiam infimis obuiam, siue in tanta rerum affluentia spontaneam uictus sobrietatem, siue in tantis negotiorum undis perpetuam animi tranquillitatem (id quod diuinæ cuiusdam mentis esse uidetur) siue syncerum et ga pietatem ac religionem affectum, quam semper summo studio, nullo supercilio tum docuit, tum præstitit. Nemo uidit illum nihil agentem. Quis autem non facillè condonasset tali uiro, si quando animum negotiis externis delassatum, iocis aut lusibus relaxasset? At illi pro uenatu, pro aucupio, pro alea, pro chartis, pro morionibus, proque cæteris auocamentis uulgaribus, erat aut frugifera lectio, aut cum erudito uiro colloquium. Tam uerò benignitatem quum in omnes, tum præcipuè in studiosos, quid referam? De me nihil dicam, qui non ita multum ab illo accepi, idque obtrusum uerius quam datum: nisi quod in acceptis numero quicquid ille obtulit: obtulit autem

frequenter uera fronte, fortunarium omnium communionem. Sed in alios quam non fuerit illius parca liberalitas, uel illa uox arguit quam paulò ante mortem emisit. Nunciantibus enim famulis, in thesauro uix esse triginta aureos si gnata pecunie: gratulabundus dixit, bene habet: sic mori semper fuit in uotis: sat est uaticini mox hinc emigraturo. O mentem summo episcopo dignam. Ex tanta fortuna minimum impendit sibi: mensa erat & pro more regionis, & pro dignitate tanti præfulis splendida, sed in mediis deliciis ipse uulgaribus libentius utebatur, atque hoc ipsum parcissimè. Cæna tam erat frugalis, ut propè nulla fuerit: uinum perquam raro gustabat uerius quam bibebat, contentus tenuissima ceruisia, quam illi uulgò biriam appellant. Eadem in cultu frugalitas: nunquam holosericis utebatur nisi rem diuinam peragens: adeo ut quum sub Caroli Caesaris & regis Angliæ conuentum, qui fuit ante annos ni fallor undecim Caletij, edicto Cardinalis Eboracensis, non episcopi tantum, sed & inferioris gradus homines cogentur magnis impendiis ornare sese Byssinis ac Damascenis, solus omnium ille contempto Cardinalis edicto, pilum in cultu suo non mutauit. Quid esse possit illo peccatore incorruptius? Nunc fœlix illa anima, sicut ecclesiæ præclarum lumen fuit, ita cælesti Hierosolymæ sidus illustre addit. Frequenter apud suos hanc uocem solet emittere, Vtinam mihi contingat, priusquam hinc emigrem, semel uidere completiq; meum Erasmmum, nunquam sinerem illum à me diuelli. Votum erat mutuum, sed neutri contigit quod optauit. Vtinam illud concedat Christi misericordia, ut nos inuicem breui completamur illic ubi nulla est futura distractio, neque quisquam erit, qui uel illum mihi, uel me illi inuideat. Bene uale quisquis es qui hæc legis.

FRIBV RGI BRISGOIAE ANNO M. D. XXXIII.

Tomus primus.

† ij

Biria.



G ERASMVVS ROTERODAMVVS

sacrae Theologiae professor, reuerendissimo patri, ac domino D. Gulielmo Vuaramo, archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliae primati S. D.



ANTA semper fuit literarum apud ethnicos quoque veneratio, Gulielme praesulum decus, & virtutum ac literarum antistes, vt disciplinarum omnium origines, haud aliis quam diis autoribus consecrandas ducerent: eaque cum primis cura summis ac florentissimis regibus digna videretur, si excellentium virorum libros, quod pluribus vsui esse possent, in diuersas linguas transferendos curaret: hinc videlicet & sibi verissimam certissimamq; laudem, & regno praecipuum ornamentum accessurum rati, si bibliothecam quam optimis simul & emendatissimis codicibus instructam posteritati trade-

rent. Nec vllam grauiorem iacturam accidere posse iudicabant, quam si quid ex id genus opibus intercideret. Proinde ne, qui suis ingentis suisq; vigiliis tantopere de mortalibus vniuersis meriti fuissent, horum memoria, temporum iniuria nihil non obliterantium intermoreretur, autores ipsos statuis ac picturis expressos, passim in porticibus ac bibliothecis ponebant, quaerente licuit illos ab interitu vindicantes. Tum eorundem apophtegmata, marmoris, ariq; passim insculpta, mortalium oculis ingerebant, libros ingenti redemptos precio, magnaq; fide vel religione potius descriptos, cedrinis inclusos capsulis, tum cedri succo oblitos in templis reponebant: partim vt rei tam sacrae tamq; diuinae custodia, non aliis quam ipsis numinibus conderetur: partim ne quid situs aut caries illa monumenta vitiaret, qua sola principum gloriam a situ carieq; queunt asserere: & impune intermorerentur, quae praesant omnibus immortalitatem. Fuerunt qui nec hac contenti diligentia, codices ceu thesaurum incomparabilem, in altissimis terrae latebris recondere: tanta cura, vt nec incendiis, nec bellorum procellis, quibus omnia sacra prophanaq; misceri solent, interirent, & posteris certe superessent. Nimirum perspexerunt hoc, non minus sapientia quam regno clari principes, barbaricum esse, cadauera defunctorum vnguentis, aromatibus, ac vitro nonnunquam tam diligenter oblini, ne computrescant: cum ea ne referat quidem seruari: quippe iam nec figuram oris, aut corporis imaginem referentia, quod saxae tamen faciunt imagines: nec parem curam adhiberi seruandis animorum reliquiis: Proinde multo iustius eam curam in excellentium virorum libros transferri, in quibus orbi superfluit etiam defuncti: & ita superfluit, vt & pluribus & efficacius loquantur mortui quam viui. Confabulantur, docent, adhortantur, deterrent, consulunt, erigunt, consolantur, sic vt nulli nec fidelius, nec paratius. Deniq; tum nobis verissimè viuunt, posteaquam sibi viuere desierunt. Equidem sic opinor, si quis cum M. Tullio (vt hunc exempli causa nominem) compluris annos domesticam egisset consuetudinem, minus nouerit Ciceronis, quam faciunt hi qui versandis Ciceronis scriptis cum animo illius quotidie confabulantur. Porro si hic honos est habitus superstitiosus e-

tiam voluminibus, veluti Numae ac Sibyllae: aut rerum K ab hominibus gestarum memoriam complectentibus, Libri faci. velut apud Aegyptios: aut aliquam humanam sapientiae portionem tradentibus, veluti Platonis & Aristotelis: quato iustius est idem facere principes Christianos & episcopos in seruandis eorum monumentis: qui sacro afflato spiritu, non tam libros quam oracula nobis reliquerunt: Et tamen haud scio qui factum sit, vt non alia in re magis cessatum videatur a maioribus nostris. Sit sane leuis ethnicorum autorum iactura, quae tantum efficit, vt minus eruditi simus, aut minus eloquentes, non vt minus pij: ceterum ex tot eximiis vereq; sacrosanctis autoribus, quos nobis vel erudita dedit Graecia, vel huius aemula prodidit Italia, vel olim studiis florentissima produxit Gallia, vel ingeniosa peperit Africa, vel laboris patiens addidit Hispania, rara quadam eruditione suspiciendos, eloquentia claros, vitae sanctimonia venerandos: quae te quam pauci superfluit, casu seruati magis quam nostro beneficio: atq; hi rursus ipsi, quam foede mutili, quam contaminati, quam prodigiosis mendis vndiq; scatentes, vt non magni referat sic superesse. Equidem vt non aspernor simplicem L vulgi pietatem, ita non possum non mirari, tam praeposterum multitudinis iudicium. Calceos sanctorum & sudariola mucco sordentia exosculamur, & eorundem libros, sanctissimas & efficacissimas diuorum reliquias, neglectos iacere patimur. Tuniculam aut indusculum sanctorum, aureis gemmatisq; thecis reponimus: & libros ab illis elaboratos, in quibus id quod illorum fuit optimum, nobis adhuc viuunt spiratq; cimicibus, tinea, ac blattis impunè rodendos relinquimus. Neq; verò difficile sit huiusce rei causam coniecturis assequi. Posteaquam principum mores plane iam in barbaricam quandam tyrannidem degenerassent, tum episcopi prophanam ditionem magis cepissent amplecti, quam ab apostolis traditam docendi munus: mox vniuersa docenda prouincia in istos quosdam est relegata, qui charitatis & religionis cognomen, hodie ceu peculiare sibi vendicant: iam negligi coepit bonae literae, fastidita Graecanici sermonis peritia, multoq; magis Hebraici: spretum eloquentiae studium: quin & ipsa lingua Latina sic coespurcata est subinde noua barbarie, vt iam nihil minus esset quam Latina: nec historiae, nec geographiae, nec antiquitatis vlla cura. Tantum ad sophisticas quasdam argutias contracta res literaria: & eruditionis summa penes summularios quosdam collectores ac excerptores esse coepit: hoc nimirum impudentiores, quod minus habebant eruditionis. Proinde veteres illos scriptores facile vel antiquari passi sunt: vel quod vero propius est, ipsi abolendos curarunt: vt quos iam frustra legerent, nimirum his rebus destituti, sine quibus illi non queant intelligi. Et tamen ex illis vtcunq; decerpta quadam, suis commentariis admiscuerunt: quae gratia magis etiam in rem istorum erat illos interire, ne quando vel plagii conuincerentur, vel insectiae. Scilicet tanti erat antiquari Clementem, Irenaeum, Polycarpum, Origenem, Arnobium: vt horum vice Occam Durandum, Capreolum, Lyranum, Burgensem, & his etiam indoctiores legeret orbis: Sub horum igitur ditutina tyrannide, tanta fuit bonarum literarum ac bonorum authorum *πρωλαδεια*, vt è doctorum ordine pelleretur, qui vel paulum literaturae melioris attigisset. His rebus factum est, vt tot orbis lumina, quorum titulos duntaxat, nec id sine lachrymis legimus, funditus interierint. Et si quos contigit suis superesse factis, hi

Honosolim habitus libris & autoribus.

Libri, praecipue sanctorum reliquiae.

Librorum interitu vnde.

M



**A** tis, hi sic modis omnibus deprauati sunt, adeo truncati, contemneratiq; vt felices videri possint, qui perierunt. Atq; id profectò cum mihi vehementer indignū videtur in omnibus eruditis, tum longè indignissimū in Hieronymo, cuius tam multæ tamq; eximie dotes promerebantur, vt vel solus & totus & incorruptus seruarietur. Nam cæterorum quidem alia commendant dotes: in hoc vno *εὐλαϊδὴν*, vt aiunt, coniunctum fuit, eximium fuit, quicquid in aliis per parteis miramur. Et cum in singulis egregium esse, magnum sit ac rarum: hic sic excelluit in omnibus, vt longè præcurrat in singulis, si illum cum cæteris conferas: in ipso secum componas, in nullo præineat. Tanta est rerum omnium summarum temperatura. Etenim si naturæ felicitatem expendas, quid illius ingenio vel ardentius ad discendum, vel acrius ad iudicandum, vel fecundius ad inueniendum? Deniq; quid dexterius aut festiuus, si fortè res delectationem desideret? Sin eloquentiæ laudem requiras, in hac certe Christianos scriptores vniuersos tanto post se reliquit interuallo, vt nec hi cum Hieronymo conferri queant, qui vitam omnem in vno benedicendi studio contriuerunt: ac profusus tantum abest, vt quisquam sit nostræ religionis scriptor, quem cum hoc pollic componere: vt meo iudicio, Ciceronem etiam ipsum suffragis omnium eloquentiæ Romanæ principem, nonnullis dicendi virtutibus superet: quod quidem in ipsius vita copiosius demonstrabimus. Mihi sanè hoc ipsum solet vsu venire in Hieronymo, quod olim in M. Tullio: cū quo si quæ contuleris, per se quantumuis disertū, repente vel obmutescere videtur: & cuius linguam, citra cōtentionē vehementer admiror, ad hunc cōpositus & admotus, & linguis videtur & balbus. Sin doctrinā exigas, quæso te, quem habet vel eruditissima Græcia sic absolutū in omni doctrinæ genere, vt cum Hieronymo sit cōmittendus: Quis vnquam pari felicitate omnes totius eruditionis parteis coniunxit & absoluit? Quis vnquam in tot linguis antecelluit vnus? Cui tanta historiarū, tanta geographicæ, tanta antiquitatis notitia cōtigit vnquā? Quis vnquam sacrarum ac prophanarum omnium literarum, & parem, & absolutam scientiā esse assecutus? Sin memoriam examines: quis auctor, quis vetus, seu nouus, quem ille non in promptu habuerit? Quis angulus diuinæ scripturæ, quid tam abditum, quid tam variū, quod ille non velut in numero habuerit? Sin industriam: quis vnquam tantum aut euoluit, aut scripsit voluminum? Quis sic vniuersam diuinā scripturam edidit, imbibit, concoxit, versauit, meditatus est? Quis æquè sudauit in omni doctrinæ genere? Iam si morum sanctimoniam spectes, quis Christum spirat viuidius? Quis docuit ardetius? Deniq; quis eum vita magis expressit? Poterat hic vnus pro cunctis sufficere Latinis, vel ad vitæ pietatem, vel ad theologicæ rei cognitionē, si modo integer & incolumis extaret. At nunc haud scio, an quisquam omnium tractatus sit indignus. Bona pars vigiliarum illius intercidit. Quod superest, non deprauatum erat, sed prorsus extinctum & obliteratum: idq; partim quidem illiteratorum vitio scribarum, qui solent ex emendatis in emendata describere, ex mendosis mendosiora reddere, prætermittere quod non legunt, corrumpere quod non intelligunt, velut Hebræa Græcæq; vocabula, quæ frequenter intermiscet Hieronymus: sed multo sceleratius à sacrilegis, haud scio quibus, studio detruncata per multa, addita nonnulla, mutata pleraq; deprauata, fordidata, confusa penè omnia:

Tomus primus.

vt vix vlla sit periodus, quàm eruditus inoffensè possit legere. Imò quod est pestilentissimum vitiandi genus, perinde quasi parum esset, tot insulsißimas nugas iuxta infantes atq; ineruditas, in hominis eloquentissimi pariter ac doctissimi nomen ac titulum contulisse, mediis illius commentariis, passim admiscuerunt suas nequias, ne quis repurgare posset. Nam librum falsò inscriptum permulta sunt quæ coarguant. Cæterum fragmenta sparsim intermixta, veluti frumento confusum lolium, quo tandem cribro repurget aliquis? Atq; hæc omnia sic esse facta, docebimus mox in operum illius catalogo, tum quarti Tomi duabus præfationibus ac censuris. Commouit itaq; me, partim tam insignis ecclesiæ doctoris non ferenda contumelia: in cuius immortalia monumenta, sic impunè de bacchati sunt isti plusquàm apri Calydonij: partim publica studiosorum vtilitas, quos videbam à tam eximiis epulis hisce rebus submo ueri, vt epistolarum volumina (quæ quò plus habebant eruditionis & eloquentiæ, hoc foedius erant deprauata) pro meavirili restituerem, haud quaquam ignarus, quàm duram & arduam adirem prouinciā. Iam primum enim ipsa tot voluminum inter se collatio, quantum habeat quædam, norunt hi, quibus vsu venit in hoc pistrino versatos esse. Et sæpe cum his voluminibus erat res, quæ vel legere non mediocriter negotij, quippe literarum figuris, vel carie situq; obliteratis, vel tinearum ac blattarum iniuria semiosis ac mutis: vel Gotthorum, aut Longobardorum more depictis, vt in formis etiam noscendis mihi fuerit repuerascendum: vt ne commemorem interim, quòd illud ipsum, animaduertere ac velut olfacere, si quid parum respiciat germanam ac veram lectionem, hominis esse, mea sententia, nec ineruditi, nec stupidi, nec oscitatis. Atqui super hæc longè difficillimum est, aut ex variè deprauatis, quid ab auctore positum fuerit, conicere: aut ex quibuscunq; figurarum fragmentis ac vestigijs, primam diuinæ lectionem. Ac rursus ea res, cum vbiq; plurimum habet difficultatis, tum verò potissimū in libris Hieronymianis. Idq; plurib; de causis accidit. Primum, quòd ipsum dicendi genus, haud quaquam triuiale sit, sed sententijs variegatum, epiphonematis argutum, strophis obliquum ac vastum, argumentis densum & instans, allusionibus festiuum, nonnunquam variis rhetorum schematis veluti lasciuens, vbiq; doctum & artificem præ se ferens. Vnde factum est: vt quò longius huius oratio abest à simplicium intelligentia, hoc pluribus mendis fuerit contaminata: dum hic scribit, non quod legit, sed quod intelligit: ille deprauatū existimans, quicquid nō assequitur, vtcutus; visum fuerit, mutat scripturā, animi modo sui secutus somniū. Rursum alius fortè deprehendens corruptam esse scripturā, dum ex leui coniectura nititur emendare, pro vnico mendo, geminum inducit: & dum vulnuscule mederi studet, vulnus infligit immedicabile. Accedit ad hæc varia quadam & admirabilis omnium rerum mixtura: quam affectauit etiam Hieronymus, sed omnino felicissimè, pia nimirum ambitione, & sancta quadā ostentatione iactans opes suas, quò magis veterum nobis excutiat, & oscitabundos ad arcane scripturæ studium expergeficiat. Quid enim est vsquam in vilo, vel authorum, vel literarum genere, quod ille passim non aspergat, inculcet, insulciat? Hebræica, Græca, Latina, Chaldaica, sacra, prophana, vetera, noua. Deniq; quid nō? Sic ille velut apicula per omnia circumuoluitans, ex vnoquoque quod esset eximium, ad operis sui mellificium congest-

Excellentia Hieronymi

B

C

Hieronymi opera quàm indignè tractata.

Quantum laboris in castigando Hierony.

Iudicium difficile.

F